



N. 6.

D V Æ E L E G I Æ
scriptæ in honorem clarissi-
MI, ATQVE DOCTISSI-
mi uiri D. Davidis Schiferdeckers, Plauensis,
cum ei Doctoratus insignia, in utroq;
Iure conferrentur.

PRIMA QUIDEM PER ABRA-
hamum Lescherum; Altera uero per
VVolfgangum Beneken-
dorfium, nobilem.

INGOLSTADII EX OFFICINA TYPO-
graphica Alexandri VVeysenhorn.

M. D. LV. I.



V genus humanum fatalibus occi-
dit undis,
Et perijt, bifido quicquid in or-
be fuit :

*S*olus ab immiti seruatus clade remansit

*D*eucalion, comes huic sed tamen uxor erat.

*F*leuit, & ad celsum superato tramite montem

*A*pplicuit tremulam mæstus uterq; ratem:

*H*ic fore sperarunt, positis ut Iupiter armis,

*N*on implacato numine ferret opem.

*P*arua ruinosis suberant donaria tectis,

*S*qualebat musco limen, & ara situ.

*H*ic *T*hemis antiquo reddens oracula ritu

*P*ræfuit, hic sortem uaticinata dedit.

*H*uc ubi Deucalion flexit uestigia mærens,

*T*huricremos adolet fæmina uirq; focos.

*I*lla Promethidæ, res est reparabilis, inquit,

*P*one metum, lapides proijce, fiet homo.

*I*ussa facit, coeunt lapides, & membra lacertis

*C*oncrescunt, sanguis spargitur, ossa rigent.

*S*tant & inoffensi uenis serpentibus artus,

*E*t fouet ingenitus uiscera nata calor.

*Q*uæq; modo silices, montanaq; saxa ferebant,

*I*am multis hominum millibus arua strepunt.

A 2 *D*ensa



Densa frequentato concurrunt agmina cœtu,
Et uaga collecto turba favore cœit.
Lege tamen, cultuq; carent, uirtutis, & artis
Expertes, animi quo rapit ardor, eunt.
In syluis recubant, & inambitiosa tenentes
Rura, perexiguam uim rationis habent.
Naturam retinent, qua sint ab origine nati,
Tstantur, stirpis semina quisq; fouet,
Et nisi commodior uocis, linguæq; facultas
Afforet, immites dixeris esse feras.
Hæc ubi Deucalion lachrymis conspexit abortis,
Fatidicam statuit rursus adire Themini.
Iamq; subit noti squalentia tecta sacelli,
Oblatisq; refert talia uerba sacris.
Dic Themi, qua possint homines ratione domari.
Inq; fidem uita consociante trahi.
Fac Dea, qui facili ceperunt uiuere ductu,
Hortatu discant uiuere rite tuo.
Dixit, & ut dixit, non multis Diua morata est,
Excepit uerbis ultima uerba suis.
Magna rogas, inquit, sed magna rogare necesse est,
Accipe, quæ uestri sit medicina mali.
Mens est in uobis, hæc sola capeffere celum,
Sola potest homini conciliare Deos.
Non hæc corporibus, primoq; innascitur ortu,
Nil haurit uitij semine, labe caret.

Hæc

Hæc inconsultos recto moderamine sensus,
Imbuit, officijs instruit, arte regit.
Vim premit indomitam, uanæq; libidinis æstus
Non ferri cursu liberiore finit.
Hæc sancit leges, hæc legibus addit honorem,
Inq; suo precio regia sceptrâ locat.
Hæc hominis propria est, accedunt cætera brutis,
Hæc oritur cælo, cætera fingit humus.
Mentis adhuc ignorat opes, ignorat honorem,
Quæ modo de saxis edita turba fuit.
Hinc fremit, hinc uano tollens præcordia fastu,
In uitium, cæco rapta furore, ruit.
Tu uero, qui non tantis erroribus hæres,
Affer opem, socium dirige mente genus.
Virtutumq; uias aperi, compesce furorem,
Legibus, imperijs effera corda regas.
Dixit: & ora uiri cælesti fonte rigauit,
Nectareoq; sacrum tinxit odore caput.
Ille redit documenta ferens, sociosq; uagantes
Congregat, ignaros fasq; fidemq; docet.
Inde salutiferas iusto conamine leges
Scribit, & hæ pacis uincula, dixit, erunt.
Iamq; refrenato mitescunt pectora fastu,
Decedunt lites, asperitasq; fugit.
Incipiunt notas includere mænibus urbes,
Ciuiibus inde domos condere, templa Deis.

A 3

Inci.

Incipiunt socij coniungere fœdera lecti,
Iamq; suum sequitur fœmina quæq; uirum.
Forte tamen, Lector, sunt hæc mendacia, clamas,
Hoc sibi commentum fabula prisca legat.
Desine, ficta licet sint hæc, tamen esse uidebis
Pulchra; recognoscas si bene prisca, sapis.
Nos etiam saxis similes, cæciq; uagamur,
Impetus est, qui nos in mala sæpe trahit.
Excutimusq; iugum mentis, rapimurq; furore
Præcipites, uitium, quicquid habemus, habet.
Hinc sacri exorta est operosa scientia iuris,
Hinc lex arbitrio, & munere nata Deum.
Hæc est illa Themis, quæ fas, mentisq; reseruat
Reliquias, uirtus qua monitrice uiget.
Hæc bene uiuendi morem, studiumq; decoris
Insinuât, uacuos criminis esse iubet.
Hæc deploratos amplectitur, ordine tractat,
Quæue senex peragat munia, quæue minor.
Hæc colit æthereum, pietatis alumna, Tonantem,
Et uindex læsi numinis esse solet.
Iusticiæq; parens uetitiæ ludibria fraudis
Tollit, ut huic pateat nulla fenestra, cauet.
Dura bipennigeræ demantur ut arma cohorti,
Pacem uictrici munijt illa manu.
Impie fulmineum quid miles fidis in ense?
Quod reparare cupis sanguine, lege potes.

Lex

Lex etiam thalamiq; fidem, tædâq; iugales
Seruat, in his constans debet inesse pudor.
Si qua maritalem uiolabit adultera lectum,
Vindicat admissum pœna seuera scelus.
Si quis in amplexus alienæ coniugis ibit,
Ob fastiditum pelectitur ille thorum.
Cuncta simul dicam: uitæ lex una gubernat
Munera, lex homines mitigat, una regit.
Salue lux uitæ, salue fons optime laudis,
Virtutum salue regula, nata Deum.
Tu facis, ut tetricæ fugiant contagia labis,
Et nullum toto restet in orbe nephas.
Tu regis humanos recto moderamine mores,
Vin cohibes, miti uiuere corde iubes.
Tu, qui te norunt, qui te duce castra sequuntur,
Exiguo laudis non sinis esse gradu.
A Eternum tribuis famæ splendentis honorem,
Et bona, quæ nunquam sint peritura, paris.
Te quoq; docte David, clari spes unica patris,
Illustris merita gloria laude manet.
Sacra bipartiti calles mysteria iuris,
Et quicquid legum grande uolumen habet.
Et iam te trepidiq; rei, causæq; forenses,
Aut aliqua altigradi principis aula uocat.
Iam tibi læta suas tradet Respublica partes,
Ingenioq; tuo tutior esse uolet.

Sed

Sed prius eximie capies insignia laudis,
 Et nouus imposito nomine Doctor eris.
 Iam tua puniceo splendent tempora cultu,
 Pendebitq; humeris purpura, mitra comis,
 Baltheus auratis ambibit & ilia nodis,
 Annulus in digitis unus & alter erit.
 Applaudent iuuenes, Patrum uenerabilis ordo
 Laticiae uultu plurima signa dabit.
 Post hæc in patrios Doctor proficiscere fines,
 Et fer grandæuo gaudia mille patri.
 I,pete Tyrigetæ, armis & pace potentes,
 Hic, ubi flauentes Sala uolutat aquas.
 Hic ubi constanti sceptro, & uirtute paterna
 Saxonici regnant pignora terna Ducis.
 Hic ubi Nestoreos crescit Pontanus in annos,
 Et Ciceronæos exprimit ore sonos.
 Hic ubi Stigelius floret, uersusq; canenti
 Assonat arguta turba nouena lyra.
 Uue memor nostri: sic te fortuna parenti
 Restituat, summus sic tibi surgat honos.

ALIVD

ALIVD.



Nam uarias hominum rapiantur
 pectora ad artes,
 Innata adfectus pro ratione sui.
 Ac uerè dictum, quot sensus tot
 capita, esse
 Exemplo præsens res monet ipsa satis.
 Nam quod cuiq; placet sequitur: cuius quis amore
 Flagrat, ad hoc, prono ceu ratis amne, ruit.
 Hinc fit ut hic stellas, & noscere sydera curet,
 Vel rapidos Phœbus quos habet altus equos.
 Huic studium terras spacijs concludere certis.
 Qualibet hunc positus de regione iuuant.
 Alter at innatas uires scrutatur in herbis,
 Et medica occultum linoquit in arte nihil.
 Ille studet uarijs linguis componere uocem,
 Eloquij attollens clarus ab arte caput,
 Hic numeros curat: iuuat hunc diuina Poesis.
 Hic capitur cantu Musica blanda tuo.
 At si alius turpi quæstum sibi quærit ab arte,
 Dum uagus huc illuc per mare tentat iter.
 Deniq; ut adfectus uarios natura ministrat,
 Sic sequitur studij semina quisq; sui.

B

At

*A*t quò quis maior, magis hoc subijsse laborat
 Præclarum studij nobilioris opus.
 Infima despiciens magis ad sublimia tendit,
 Et celebres motus mens generosa capit.
 Ergo sacrosancti uir maxima gloriæ iuris,
 O mihi Mæonio carmine digne cani.
 Quòd sacris operam nauasti legibus, atq; *I*usticiæ
 sanctas es ueneratus opes.
 Hoc tibi non paruas meruisti nomine laudes,
A Eterno semper dignus honore coli.
 Nam tibi quam uulgo melior sententia menti
 Sedit, ut huc studium uerteris omne tuum.
 Ocia non uacuis unquam tibi cognita rebus,
 Vlla nec ætatis damna fuere tuæ.
 Sed semper uigili curasti pectore, cunctis
 Posthabitis, tanto quæ sine honore iacent,
 Legibus ornare ut mentem Iustitiæq;
 Qua melius toto dic quid in orbe patet?
 Nam ueluti reliquos uincit splendoribus orbes
A Ethereo Veneris lucida stella polo.
 Sic reliquas inter ueluti splendore coruscant
 Virtutes, palmam Iusticia atq; refert.
 Cuius ego ueras si possem dicere laudes,
 Dignius in toto dixeris orbe nihil:
A ut quod maiores extendi possit ad usus,
 Et minus humanum quo caruisse genius,

IIIa

Illa regit vastas exelsis mænibus urbes,
 Et sua priuatis iura dat ipsa focis.
 Illa Magistratus statuit, populumq; subesse
 Iussit, & imperio conueniente regi.
 Impia quod miseris non uis nocet ulla Tyranni,
 Et quod ab infida est semita tuta manu.
 Muneris ipsius certè est: pro crimine pœnas
 Irrogat hæc etenim, tutaq; regna facit.
 Hæc scelera horrendas aduersus concipit iras,
 Et uelut incurua crimina falce metit.
 Cumq; suo dignus sit, crimine purus, honore,
 Et quæ non aliquo noxia uita modo.
 Non solum pœnis infantes eximit, astit hos
 Diuitijs auget, muneribusq; beat.
 Iam uerò ut sociæ colerent consortia uitæ
 Omnipotens homines condidit ipse Deus.
 Alterius postquam auxilio sic alter egeret,
 Rursus ut offitium redderet ille suum.
 Indiget hic uitæ rebus communibus usus:
A t rectè his uti Iusticia alma docet.
 Namq; reget totum commercia ritè per orbem,
 Semper & æquatæ pondera lancis habet.
 Præscribens certas leges contractibus, ipsa
 Constituit precio cuncta ualere suo.
 Iam mihi dic homini melius quid contigit unquam
 Iusticia? hic iudex iustus at esse uelis.

B ij

O uere

O uerè dignos super omnem laudis honorem,
Pectora qui tantis dedita rebus habent.
Te quoq; uir sanctæ uerè uirtutis amator,
Hac quis laudaret nunc ratione satis.
Quod si Mæonius uates superesset, & ille
Qui procul Euxinas contigit exul aquas:
Vel sacer ipse nouem comitatus Apollo Deabus,
Vix ferrent tanti, credo, laboris onus,
Vt tua pro merita ueherent præconia laude.
Hac similes homines iudico parte Dijs.
Quos super ingenium et Musam positos super omnè
Frustra tentaris tollere laude sua.
Istane sed penitus res omni nuda ab honore est,
Factaq; tam prorsus laude probanda carent?
Est radix primum gustu uirtutis amara,
Post tamè hæc fructus commoda dulcis habet.
Quiq; diu aduerso, & multum sudauit ab hoste
Emeritus miles munera iusta capit.
Tu quoq; post longos tandem, durosq; labores
Militiæ capias præmia nulla tuæ?
Dij melius. Sed quid doctorum Pompa uirorum
Splendida, quid res tam uult inopina sibi?
Ad sacra iam uideo Musarum limina tendunt,
En subeunt nostræ proxima tecta scholæ.
Vt tibi decernant summos clarissime honores,
Et tribuant studijs præmia digna tuis.

Hic

Hic te non meritâ cariturum laude uidebis,
Hic nec in obscuro fama futura tua est,
Nam tua non dubitant Doctores nomina nostri
Inter honoratos connumerare uiros,
Quos iuris duxit Studium in penetralia sacri,
Et legum ratio est cognita tota quibus:
Postquam clara gradus iam nunc insignia Doctor
Suscipis, æterni nominis atq; decus.
Hic te difficiles legum dissoluere nodos,
Et faciles docto fundere ab ore sonos.
Circumstans iuuenum miratur densa corona,
Vixisse exemplo uellet & ipsa tuo.
Illa tibi acceptum bene cedere & optat honorem,
Idnè tibi paruum duxeris esse decus?
Adde quòd ad summum confert tibi laudis honorè,
Decerni à tantis præmia iusta uiris,
Quos uirtus nostro præfecit clara Lycæo:
Qui leges sacras. Iusticiamq; docent.
Hic ubi candentes exæstuat Ister arenas,
Suntq; Ingolstadio mæniq; celsa solo.
Horum ego si laudes digno depingere cultu
Vellem, deficerem uiribus ipse meis.
Et maris antè queam numero comprehendere arenas,
Nomina quam meritis tollere tanta suis.
Nam quantus claro sit nomine Frisius, & qui
Romulæ gentis nomina Doctor habet:

B 3 Quan.

Quantus & ingenio præstans Zoanetus & arte,
Præclarum legum Iusticiæq; decus:
Doctrina & quantus Doctor Baptista Ioannes,
Vtraq; iam notum regia Solis habet.
Ergo etiam demens meritó, stultusq; uiderer,
Si uellem Musis hoc celebrare meis.
Nam quod tam magnū est ut crescere nesciat, huic te
Addere quid sano pectore posse putes?
Maiori hoc igitur debes tibi ducere laudi,
Ornatum tantis quod datur esse uiris.
Sunt præclara quidē Superis data munera, sed sunt
Quæ ueniunt ipso maxima habenda loue.
Sic & Alexander magno sibi duxit honori,
Depingi faciem solo ab Apelle suam:
Duxit & in uita nihil hic antiquius unquam,
Quam fingi manibus clare Lysippe tuis.
Ergo iterum ó nimium felicem, terq; beatum,
Fontibus ex illis qui bona tanta capis.
Accipiter pauidisterrebitur antè columbis,
Et lupus impelles ipse timebit oues.
Vel prius immensum stabit sine piscibus æquor,
Ipse nec albentes Ister habebit aquas.
Quam tibi delati susceptum nomen honoris,
Et possit laudis fama perire tuæ.
Te iam Doctorem iuuenesq; senesq; salutant,
Iam tua quo frontem patria tollat habet.

Et

Et donec cœlum, atq; hæc mundi machina stabit,
Exelsum culta nomen ab arte feres.
Vos iuuenes quibus acer adhuc in pectore sanguis,
Quis nec adhuc crines alba senecta notat.
Huc oculos uestros, teneras huc uertite mentes;
Hinc uos exemplum sumere quippe decet.
Pellite desidiæ procul ocia: sumite curas
Pectore, & assidua uoluite iura manu.
Ut tandem quoq; uos comitetur gloria talis,
Gloria non aliqua deperitura die.
At tu sacrati uir consultissime iuris,
Qui modo præclarum nomen adeptus habes.
Ifelix patriamq; tuam felicibus orna
Auspicijs, magno laudis honore tuæ.
Et moneo (quamuis hoc me monuisse uolentem
De terret pietas & tua nota fides)
Iuris ut ad ueram normam, legumq; ministres
Iusticiam, populis qui tua iura petunt.
Nec tua muneribus flectantur pectora sumptis,
Ut uerum ponas posteriore loco.
Heu nimium facilem, dignum tanto nec honore,
Pectore peruerso talia quisquis agit.
Sic tibi sit semper foelix fortuna precabor,
Dura nec aduersa sorte pericla feras,
Et tua longæuos uita extendatur in annos:
Hæc sunt in uotis maxima penè meis.

FINIS.